



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Het Paradys Der Gheestelycke en Kerckelycke
Lof-Sangen, Op de principaelste Feest-daghen des
gheheelen Jaers**

Afhakker, Aegidius

T'Antwerpen, 1638

Psalmvs 30.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55104)

Resp. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio.

P S A L M V S 4.

CUm invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.
Miserere mei: & exaudi orationem meam.
Filij hominū usquequod gravi corde: ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Ira scimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino: multi dicunt, Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiā in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei sui: multiplicati sunt.

In pace in idipsum: dormiam, & requiescam.

Quoniam tu Domine singulariter in spe: constituisti me. Gloria Patri, & Filio.

P S A L M V S 30.

IN te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in do-

mum.

mum refugij: ut saluum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus:

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis. Gloria.

PSALMVS 90.

Qui habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei celi commorabitur.

Dicet Domino. susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurfu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: Altissimum profuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.